

† R. P. Gulielmus Steimel (1899-1950)

(Prov. Bonaër.)

† R. P. Gulielmus Steimel (1899-1950)

(Prov. Bonaër.)

Hic missionarius, praemature nobis ereptus, tempore studiorum numquam fuerat stella primae aut secundae classis; numquam fuit Superior aut Lector; nihilominus meretur unam alteramve paginam in nostro Commentario officiali; ei enim applicari possunt verba Scripturae: *Hic est fratrum amator et populi Israël* (2 Mac. 15, 14), et singulari suo erga suam familiam religiosam amore ductus ei lucratus est — res sane insolita — 112 novas vocationes.

In Hennef prope studentatum Geistingen Gulielmus Steimel piis honestisque parentibus natus est 11 Iul. 1899. Petens 8 Febr. 1922 a Superiore

Provinciali admissionem ad novitiatum, ait se a prima aetatula impense sacerdotium desiderasse et postea secum constituisse ingredi in Religionem, et in Congregationem quidem SS. Redemptoris, tum ut imitando Christum Dominum se sanctificaret, tum ut animas quam plurimas Deo lucrificeret.

Quo anno in iuvenatum Vaals ingressus est (1914), eodem exarsit immane bellum, et ubi Gulielmus ad aetatem militarem pervenit, ipse quoque per biennium libros cum armis mortiferis mutare coactus est. Recepit grave vulnus in praelio, et per breve tempus fuit captivus Anglorum. Simulac potuit, gaudens rediit in Vaals, inde a. 1920 cum ceteris ad novam sedem Bonn transmigravit, a. 1922 Luxemburgum in novitiatum, a. 1923 in studentatum Geistingen.

Studiis a. 1929 absolutis, perlibenter voci sui Superioris obsecundavit et in Americam Meridionalem profectus est, neque illis 21 annis, postea sibi concessis in hac vita, umquam ad dulcem patriam suosque caros denuo videndos reversus est.

Deus distribuit singulis sua dona, prout vult. Patri Steimel non concesserat in studiis insignes successus, sed his studiis finitis ei dedit apostolatam valde fecundam. Habebat invictum optimismum et altruismum mirabilem, ita ut quasi naturale ei esset sui immemorem pro aliis se sacrificare. Insuper miro modo inventum attrahebat.

Destinatus apostolatui Germanorum, quorum tunc circ. 20.000 Bonis Auris et in vicinia vivebant, sacerdotali adiutorio passim orbati, primum sui zeli campum invenit in Piñeyro, et iam 26 Nov. 1929 (advenerat cum R.P. Ostertag et Fr. Andrea in Argentinam 30 Septembris) suo Provinciali nuntiare potuit se singulis septimanis per 6, immo per 8 horas catechismum docuisse et iam 9 pueros pro iuvenatu Bella Vista lucratum esse, assistentiam ad Missam dominicalem iam a 20-30 ad 50-60 crevisse, et confidenter addit: « Deus meum laborem certe benedicet; nam laboro pro eo, et pro eo huc veni ».

Hic apostolatus tamen non diu duravit, cum magno dolore et Patris St. et incolarum Piñeyro, quia in fine anni 1930 universa cura spiritualis Germanorum in Buenos Aires et locis vicinis Patribus Pallottinis tradita est. Festo Nativitatis illius anni ibi tribus Sacris et tribus sermonibus Patris St. adfuerant non 50, sed 580 fideles, et eorum 115 Divinum Infan-tem in Sacramento pie receperant. Quam amare itaque fleverunt, cum dilectus P. Gulielmus 28 Decembris eis vale dixit, praesertim illi 178 parvuli et adulti, quos his 15 mensibus ad primam communionem praeparaverat!¹

¹ *Nachrichten für die Niederdeutsche Provinz*, I series, p. 71, 87, 137.

Sed *vir obediens loquetur victoriam* (Prov. 21, 28), et obediens religiosus P. Steimel semper fuit. Iuvenili ardore sese dedit addiscendae linguae hispanicae. Adscriptus per vices domibus Salta, Goya, Tucumán, Villa Allende, illas vastas regiones peragravit qua missionalis infatigabilis, et finem vitae invenit, uti semper optaverat, in mediis certaminibus apostolicis, in missione parociae Arroyito (Córdoba) 19 Sept. 1950, h. 17, statim post instructionem matribus familias more nostro datam de obligationibus status, ex syncope cardiaca.

Laudabili cura ac diligentia P. Steimel in vita semper notavit suos labores apostolicos. Sic scimus eum ultima periodo, adscriptum communitati domus studentatus, ergo spatio 9 annorum, praedicasse 50 missiones, 112 novendialia, 21 alias praedicationes minores, excepisse in hoc ministerio externo 72.649 confessiones (quarum 16.980 erant virorum), distribuisse 162.957 communiones (3.680 primas, quamquam saepe adultorum), benedixisse 446 matrimonia, baptizasse 2.584 sive infantes sive adultos, confirmasse vi indulti pontificii 7.055 fideles, et 388 moribundis vel graviter infirmis religionis solacia praebuisse. Huc accedit ministerium internum¹.

Ergo quam abundantem messem bonus P. Steimeī die ultimo colliget in horrea caelestia! Have, pia anima!

¹ *El Perpetuo Socorro en los Países del Plata*, XVII (1950), 285 s. Placet ex illo necrologio ad verbum haec transcribere: « ¡Cuántas veces le tocó aguantar las penalidades de largos y fatigosos viajes, habitar en ranchos destartalados, expuestos a la intemperie y privados de las mínimas comodidades, dormir en ruines camastros y contentarse con escasa y detestable comida! Solo el que haya probado la vida de misionero puede juzgar con acierto del volumen de espíritu de sacrificio que esto exige. Sin embargo, en medio de sus amarguras, pesares y luchas conservó siempre una inalterable jovialidad y optimismo que le granjeó simpatías y sinceras amistades ».
